



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxvii [i.e. x]. Relatio verarealis datur ante intellectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

*insita, quæ sit principium accidentale operandi: quales non sunt habitus dispositiones; etsi enim sint principia operandi, non sunt tamen à naturâ insita. Huc pertinent virtutes herbarum, metallorum &c. item intellectus, voluntas &c. si ab anima distinguerentur. Si definitioni adjicias: principium *vigens & forte*, definitur sola Potentia; si addas *debile*: definitur sola Impotentia, qualis impotentia videndi est in sene, quia in eo est vis debilis videndi. Tertia continet *Passionem & Patibilem qualitatem*: & est *qualitas ex natura sua ordinata ad bene vel malè afficiendum subjectum absquè ordine ad operationem, saltem primariò*; quæ si sit citò transiens, dicitur passio, si diu perseveret, dicitur patibilis qualitas. Huc spectant calor, frigus, color, sapor sonus &c. affectiones, qualitates spirituales animæ & Angelorû, gratia sanctificans, character sacramentalis. Quarta deniq; *Formam & Figuram*: verùm hæ non sunt veræ species qualitatis; satis enim explicantur per partes quantitativas rei, certo modo inter se dispositas, unitas, disjunctas, distantes, vicinas &c.*

X. Relatio vera realis datur ante omnem operationem intellectus; sic enim in divinis

dantur reales relationes paternitatis & filiationis, idq; ideo, quia datur ibi ratio producti & producentis, ergo propter eandem quoque rationem dantur tales in creatis, ubi independenter ab omni cognitione res sibi sunt similes sunt in vice causæ & effectus. Neq; enim relatio consistit in actuali comparatione, seu in actu comparante unum cum alio, sed potius in comparabilitate, seu in eo, ratione cuius res una apta est comparari cum alia. Unde etiam idem extremum nemine cogitante est fundamentum & terminus, pro ut idem aptum est variè referri ad aliud. Quod autem ad relationem non detur motus, quod adveniat subiecto sine eius reali mutatione, non probat relationem nihil esse reale, sed non esse formam vel modum superadditum fundamento termino & rationi fundandi. Definitur autem relatio in genere, quod sit *habitus unius ad aliud*: & relativa sunt, *quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur*: seu *quorum esse est ad aliud*: quam definitionem Arist. ideo solum rejicit, quia nimis lata est, utpote conveniens relationi tam transcendentali, quam prædicamentali, quam solum intendebat definire Arist.